



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1572 usque ad annum 1581

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1772

VD18 90118642

§. 119. Articuli circa religionem inter Arausionensem Ducem, &
Gandavenses initi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67232](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67232)

feditiosos placare tentaret: ergo die Sæcul. XVI.
 vigesima secunda Novembris Tene- A.C. 1578.
 mundam venit, ubi a præcipuis Gan-
 davenfibus civibus, imo ipsis etiam Im-
 bifianæ factionis principibus excipieba-
 tur: poſtea vero idem Princeps Gan-
 davum contendit, ubi de quibusdam
 articulis utrinque tranſactum.

§. CXIX.

*Articuli circa Religionem inter Arau-
 ſionenſem Ducem, & Ganda-
 venſes initi.*

Hiſce articulis injungebatur, quate- Thuan. l. 6.
 nus Eccleſiaſticis ſua bona, ac red-
 ditus reddantur, atque in urbem liber
 Religionis uſus revocetur, ita tamen,
 ut I. a Catholicis ſupplicationes, quas
 per fora publica, & plateas celebrari
 moris erat, intra templorum limites
 ſiant. II. Catholici ſacrum Viaticum
 per plateas ad infirmos, citra pompam
 tamen, geſtent. III. Feſtis diebus pu-
 blice operarii artes ſuas non exerçant,
 nec tabernæ aperiantur, & carnes ve-
 titis diebus in macello minime vena-
 les proſtent. IV. Utrinque ab injuriis,
 & ſeditioſis vocibus, probrisque publice,
 & privatim, ac etiam in concionibus
 abſtineatur. V. Utraque pars decretis Ma-
 giſtratus ſupremi intra, & extra urbem
 ordi-

Sæcul XVI. Ordinum Belgii jussis obtemperet.
A.C. 1578. Hisce tumultibus ita sedatis Ordinum sollicitudo in flectendis nobilitatis, & Provinciarum Gallo-Belgicarum animis negotium fuit; quippe illi nullis conditionibus paci Religionis nupero edicto in favorem Protestantium stabilitæ subscribere volebant, quamvis enim ad eos a Matthia Archiduce, & Ordinibus Håurecus Marchio, & Adolphus Meckerketus ablegati fuerint, nihil tamen hi ab eis impetrare potuerunt.

§. CXX.

Joannis Austriaci obitus.

Strad. l. 10. Speraverat equidem Joannes Austriacus, Hispaniæ Regis auctoritatem intra breve temporis spatium sese restauraturum: ast pia ejusdem vota simul, ac illius vitam invida mors succidit; die enim prima Octobris hic Belidux in suis castris prope Namurcum repentina morte sublatus est, & quidem eadem die, qua olim Naupactanam, & TUNETANAM victoriam reportabat. Sepeliebatur cum ingenti pompa, ac magnificentia Namurci in Ecclesia Cathedrali, inde vero postea corpus ejus in Hispaniam translatum in Escuriali Monasterio prope sepulcrum Caroli V. Patris sui, cujus nonnisi Nothus erat Filius, deponebatur. Ceterum Joannes